

Cap. Nec & Cap. Nec Episcopi eodem Titulo ibi: nec Me-
Episcopi. tropolitanus sine tribus vel duobus Episcopis compro-
vincialibus presumat Episcopum ordinare. Sic Cano-
nes sacri, vt alia omittam.

Papam no
posse dispen-
sare in eo
multorum
sententia.
Sed contra-
ria vni
Ecclesie
recipit.

28 Propter quæ multorum sententia fuit,
tres Episcopos ita esse ad consecrationem Epi-
scopi necessarios, vt aliter facta nullius valoris
sit, & ita circa hoc non posse Pontificem dispen-
sare. Sic apud Dianam citati ab iplo Parte 8. Tract.
1. Resolut. 31. apud quem alij ita temperant sen-
tentiam dictam de absoluta necessitate trium, vt
dicant aliter factam nullius esse valoris, nisi Pon-
tífex dispentet, circa quod non videtur dubitan-
dum, quia sic vltus Ecclesie habet, & Pontifi-
cium dispensationes iam inde à tempore D. Gre-
gorij Magni sine vlla sunt tergiversatione recep-
tæ: ille enim pro Episcopis Anglicis concessit
sicut Pius IV. pro Indis, & Gregorius XIII.
pro Æthiopia, & Bulla Pij V. in Tabulario hu-
jus Metropolitanæ Limentis Ecclesie asseruat-
tur. Pro quo videri possunt præter citatos à Dia-
na, Cardinalis Bellarminus Lib. 4. De Notis Eccle-
sia Cap. 8. ante medium P. Agidius Coninck, de
Sacramentis Disp. 20. num. 80. & seqq. P. Maza-
tius Disp. 7. de ordine, Sect. 3. in fine. Vbi indubi-
tatum dicit. P. Martinon Tomo 5. Disp. 67. num.
21. P. Bauny Tom. 1. Tract. 8. Quæst. 10. & Eli-
gius Bassæus Verbo Ordo 3. num. 1. 5. Apud omnes
ac tandem post hæc scripta vltus Dominus Villa-
roel statim citando loco num. 40. licet sint, qui cir-
ca hos solum ius humanum, & Ecclesie præcep-
tum agnoscant, vt P. Henriquez Lib. 10. Cap.
7. numer. 3. P. Escobar de Mendoza in Morali
Theologia pag. 814. s. Ministrum Ordinarium, præ-
ter alios apud Dianam supra, & Recentiores de
Sacramentis scribentes.

Inde dubia
consecratio
ostenditur.
Neque
suffragari
dispensa-
tionem à
Pio IV.
concessam.

29 Iuxta hæc ergo probatio Assertionis
procedit stante enim varietate opinionum dicta,
valde dubium est; an cōsecratio sine beneplacito
Pontificis facta, non concurrentibus ad eam tri-
bus, valida sit. Nec valet si dicatur iam constare
de Pontificis voluntate, per dispensationem di-
ctam à Pio IV. concessam. Contra hoc enim
est non constare quod Pontifex velit dispensa-
tionem dictam valere; quando alia iure requisita
non fuerint obseruata, vt Bulla in eadem non
obscure significatur: ex quibus vnum est, vt o-
riginales litteræ Consecratori exhibeantur, & in
actū ipso Consecrationis legantur; quamuis sint,
qui illud probabiliter, suo quidem iudicio & a-
liorum, arbitrentur. Neque dispensatio adeo
accommodata est omnibus casibus vt eidem
possit adaptari: vt ex illius tenore constet, & vi-
deri potest apud Dom. Villaroel Lib. 1. Guber-
nationis Pacificæ, Quæst. 1. Artic. 9. num. 31. qui
num. 41. nobiscum sentit. Et ita Pontifices sem-
per cum Indicis Episcopis dispensant, dispensa-
tionis prædictæ nullā factā mentione; cuius ca-
sum putant aliqui hucusque in Indiis non occur-
rifle. Neque recurrendum ad benignam Pon-
tificis voluntatem, quem non est credibile tale
aliquid volitum, ex quo inconuenientia multa,
& magna sequerentur. Totum namque illud
non tollit incertitudinem; & potest esse volun-
tatis contrariæ præsumptio, dum disposita à sa-
cris Canonibus non seruantur. Sic enim vidimus
num. 26. D. Anticum consecrationem irritam

declarasse, & tamen ex eo quod irrita ordinatio
esset, multa, & graua possent inconuenientia de-
prehendi.

30 Nec dici potest opinione probabili vt
etiam in materiā Sacramentorum licitum esse,
relictā tutiori, in qua nullum esse periculum po-
test: quod circa Sacramentum Pœnitentiæ com-
muniter Auctores tenent, videnti apud Dianam
Parte 1. Tract. 13. Resolut. 29. & Tract. 15. Re-
solut. 29. & generalius alij. Nam licet ea doctrina
probabilis sit, limitationes tamen seruari debent
quæ ab eius Auctoribus apponuntur, ex qui-
bus præcipua est, circa essentialia, quæ sunt de
necessitate salutis, id non licere, quia ex eo fe-
ret periculum damnationis incurri. Pro quo ci-
tatus Auctor Resolut. 2. & alij ex quibus videri
potest P. Vazquez Tom. 1. in 1. 2. Disp. 63. Cap.
2. & 3. P. Thomas Sancius Lib. 1. Operis mor-
ralis Cap. 9. num. 33. & 34. P. Salas 1. 2. quæst. 21.
Tract. 8. Disp. vltima, Sect. 10. num. 96. P. Arriaga
Tom. 1. in 1. 2. Disp. 24. Sect. 4. P. Henriquez
Lib. 1. Cap. 9. num. 15. Bonacina Tom. 1. Disp. 1.
quæst. 2. puncto 1. numer. 32. & Eligius Bassæus
verb. Conscientia, num. 10. ex eo autem, quod in
casu de quo loquimur, opinio, quæ probabilis
dicitur, ad praxim adhiberetur, manifestum est,
vt diximus, posse multipliciter periculum dam-
nationis incurri, & etiam quoddam dubium reddere-
tur Sacramentum Eucharistiæ, & ita adoraretur
hostia & calix, in quibus re ipsa Christus non
adesset, eo quod sic operans non esset verus
Sacerdos, vt pote à non vero Episcopo ordina-
tus.

Ex doctrina
de vltis
probabilis
circa Sa-
cramenta
non bene
argui.

Non licere
illam circa
substantia-
lia ex qui-
bus dam-
natio ani-
marum
imminet,
& alia
grauia in-
commoda.

31 Et ita in Sacramento Ordinis Commu-
nis est Doctorum sententia iterandum illud,
quando in eius administratione opinio est
incertam amplexus Episcopus. Pro quo Magi-
ster Barnabas Gallegus Tract. de Conscientia, Dub.
20. de Conscientia probabilis. Et vt de aliis Ordini-
bus sustineri contrarium possit vt volunt aliqui;
de Sacerdotio, & Episcopatu rem esse sine du-
bio affirmat P. Granadus. Controuersia 9. de Sa-
cramentis Tract. 1. Disp. 4. & Tract. 5. Disp. 6.
numer. 2. cuius verba semel & iterum exhibet
Diana Parte 5. Tract. 13. Resolut. 47. & Tract. 14.
Resolut. 64. eiusdem doctrinam amplexus, de quo
& ego Tomo de Trinitate circa Sacramentum Ordinis.
Iuuat autem pro eodem mandatum Clementis
VIII. qui præcepit ordinari iterum quosdam, qui
ordinati fuerant sine contactu materiæ, additā
conditione, cum tamen probabile valde sit illum
non esse necessarium, pro quo plures Auctores
adduxi Tomo citato num. 1320. & pro citato Cle-
mentis mandato videri potest Diana Parte 10.
Tract. 16. Resolut. 88. quod quidem & in casu
de quo loquimur, necessarium esse, quæ addu-
ximus, euidenter videntur demonstrare, vt mi-
rum sit Dom. Solorzanum circa hoc dubitari:
non posse ita confidenter affirmasse; sicut &
Regium Indiarum Consilium; quod ego non
credo: ea enim, quæ ab eodem circa casum con-
tingentem sunt disposita, tale circa eum iudicium
fuisse, nequaquam ostendunt: & vt demus, sic
dictos dominos censuisse, id certe non conui-
cit oppositum non esse probabile, in quo stan-
dum potius iudicio Theolorum, quia res pro-
pria eorum est, cum ad Sacramenti essentiam de-
clarandam

Sacramen-
tum Ordi-
nis iteran-
dum ex
dubio, etiā
stante pro-
babilis opi-
nionem.

clarandam spectet, & quid illi circa materiam
presentem censeant, iam est à nobis declaratum.
Pro quo & hæc sint satis, circa quod alij consuli
poterunt, qui fusiori calamo rem sunt eandem
prosecuti. Et specialiter post hæc scripta contra
Dom. Solorzanum millat Diana Parte 12. Tra-
ct. 1. Resolut. 59. vbi alios adducit, & sic con-
secratum debere sub conditione iterum conse-
crari. Resolut. 47. & Dom. Villaroel Part. 1. gu-
bernationis Pacificæ. Quæst. 1. Artic. 9. num. 54.

Inconue-
niens non
vitari ex
eo quod
sententia
de necessi-
tate trium
Episcoporum
sit proba-
bilis.

32 Vnum illud ad scrupulum omnem sub-
mouendum præstat addidisse: videri inquam in
consecratione Indicorum Episcoporum ad proba-
bilem sententiam recurrendum, & ita ea, quæ
circa hoc diximus, infirmari. Quod enim tres
Episcopi ita ad consecrationem requirantur, vt
aliter facta valore careat; multi Doctores tenent,
vt vidimus num. 28. & Turrecremata in Cap. Por-
ro, Disp. 66. affirmat omnes ferè iurisperitos hu-
ius esse sententiæ. Pontifices autem, qui circa
hoc dispensarunt, rem suo facto non desinuerunt
sed probabilem sunt secuti sententiam, quam ma-
ior pars Theologorum tenuit, vt testatur Farina-
cius ad Concil. Tridentini Sessionem 23. Cap. 1.
de Dispensatione Pij IV. quam allegant Dom.
Solorzanus, & ex eo Diana supra; & ad litteram
prohibet Dom. Villaroel Ari. 9. citato num. 31.
vnde, & post prædictam dispensationem & alias,
sunt, qui probabile censeant oppositum, immò
& aperte illud defendunt. P. Thomas Sancius To-
mo 2. Confessorum Lib. 7. Cap. 17. num. 27. sen-
tentiam contrariam ait esse probabiliorum, vnde
aliam iudicat esse probabilem. P. Dicastillo To-
mo 1. de Sacramentis Tract. 6. numer. 262. valde
probabile esse ait: Pontificem posse circa nu-
merum trium Episcoporum dispensare, iuxta
quem dicendi modum opposita sententia est
probabilis, quam tenet P. Palauus Tomo 4. Tract.
27. Puncto 14. num. 13. ita scribens. Verius exi-
stimo consecrationem Episcopi, ita necessario à tribus E-
piscopis faciendam esse, vt nequeat Pontifex in hac
parte dispensare & vni tantum consecrationem com-
mittere; vni videntur docere Henriquez Lib. 10.
Cap. 24. s. 1. Paulus Comitulus in responsion. Mora-
lis Lib. 1. quæst. 48. num. 13. Marcus Antonius Ge-
menius in Praxi Curie Archiepiscopalis Neapolit. Cap.
70. num. 26. Barbosa de Potestate Episcopi Allegat. 2.
num. 45. sic ille, prosequens statim probatio-
nem in quâ nihil est, quod vrgeat. Sic sunt alij
generaliter loquentes de necessitate trium Epi-
scoporum: & Diana quidem post hæc scripta
vltus Tomo 12. Tract. 1. Resolut. 30. licet senten-
tiam P. Palai non admittat, nihil contra illam
statuit, vnde improbabilem videatur reputare.

Non esse
probabilem
ostenditur.

33 Sed hæc non obstant: quia licet ante di-
spensationes dictas, opinio negans probabilis
fuerit, illis autem frequentissimo vsu ad praxim
adhibitis, & ita interpositâ Pontificum auctori-
tate ad quotidianum vsum, nequit vilo modo
opinio dicta, vt probabilis sustineri. Quotquot
in Indiis consecratur Episcopi ab vno tantum
consecrantur cum duobus aliis Præbendariis in-
fulatis, quod in Concilio Africano sub Bonifacio I.
can. 16. sic dispositum inuenitur. Vbi pro Epi-
scopis duos Abbates adhibendos statuitur, si illi
non suppetant. Neque hoc virtute tantum di-
spensationis à Gregorio XIII. aut Pio IV. datæ,

sed ea toties multiplicata; quoties Bullæ confir-
mationis pro Episcopis singulis expediuntur.
Ab his ergo dispensationibus totum Christiani-
tatis negotium apud Indias pendet: quæ si certæ
omnino non sint, rotum illud pariter habetur in-
certum neque enim veri Episcopi certi sunt, ne-
que Sacerdotes, neque Sacramenta, quæ Sacer-
dotali Indigent caractere. Hoc autem sine gra-
ui nequit affirmari notâ, & erit qui neget nullus,
etiam illorum, qui in præfata sententiâ persiste-
runt. Et quidem Reges nostri eorum Regium
Consilium, immò & Pontifices ipsi, grauissimè
peccarent eo quod Episcopus in Hispaniâ con-
secrari prohibeant, & in Indiis consecrationem
accipere compellant (vt videri potest apud Dom.
Solorzanum Tomo 2. Lib. 3. Cap. 7. numer. 86.
& in Politica citato Capite 7. s. T. lo proprio vbi &
Bullam Pauli V. circa hoc adducit) ob causas
magne considerationis; quia omnes illa postha-
beri deberent, vt consecratione ritè acceptâ per
concursum trium Episcoporum, in Regia curia
perfacili, cum ea venirent Sacramenti sui certi-
tudine, quæ ad eorum munus, & animarum sa-
lutem adeo necessaria comprobatur.

Amplius
pro eodem
probatio.

34 Quod quidem ex communi Theologo-
rum sententiâ firmari potest, iuxta quam con-
stat Pontificem non solum circa fidei dogmata
proponenda errare non posse, sed neque circa
ea, quæ ad mores spectant, & communem Eccle-
siae informationem, noxium pabulum pro sa-
lutari Christi ouibus tribuendo. Item neque in
Sanctorum cultu, approbatione Religionum, &
similibus: quia alias posset proponi vt dignus
supremâ veneratione, qui inter diaboli mancipia
fortè apud inferos æternâ infamiâ notaretur, &
vt via secura ad cælum panderetur, in quâ dam-
nationis periculum deliret. Est autem in casu,
de quo loquimur, periculorum dictorum cumu-
lus, vt perpendenti constabit. Non enim in vna,
aut alia ciuitate, prouincia, regione, aut regno,
sed in amplissimis Indiarum tractibus, in quibus
tot regna & regiones occurrunt, incerti Christi
Ministri pro certis, incerta Sacramenta, in qui-
bus & Eucharistia adoranda passim incerta, &
ferè omnia salutis instrumenta proponuntur. Ne-
que enim iam in Confessionibus ad communem
errorem, & coloratum titulum, & Ecclesie profu-
dam voluntatem defectum suppletis potest esse
reclusus, quandoquidem apud Theologos con-
stantissima sententia est; characteris defectum
non posse suppleri. Quam autem difficilis con-
tritio Indis sit, satis norunt, qui eos norunt, vt
sine adminiculo Sacramenti maxima eorum pars
ferè nequeat iustificari, si in mortalia crimina
sunt prolapsi. Et generaliter quod sint perituri,
si Sacramenti Pœnitentiæ contingat deesse vir-
tutem, quod quod verus Sacerdos non sit, qui illud
administrare conatur, certius est quam vt id o-
porteat confirmari. Illud ex Concilio Tridenti-
no Sessione 14. Cap. 2. fit satis posuisse sic dicen-
te: Est aut hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post
Baptismum ad salutem necessarium, vt nondum re-
generatis ipse Baptismus. Sic Concilium. Gradus
ergo necessitatis sufficienter indicat, quale sit
damnum eo deficiente, non in vno, aut alte-
ro, sed in Orbe nouo, Ecclesie amplissimâ por-
tione.

Sacramen-
tum Pœni-
tentiæ
quàm ne-
cessarium.
Concil.
Trident.

Improbabilius flabitur.

35 Iuxta hæc ergo nequit admitti ſententia illa de abſoluta neceſſitate trium Episcoporum eſſe probabilem modò; quidquid de temporibus aliis fuerit. Vnde qui eam nunc probabilem exiſtiant, non videntur rei iſtius plenam habere notitiam, ac propterea P. Granadus Tomo 2. in 3. p. pag. 1370. num. 5. affirmat circa hoc non eſſe dubitandum. Et Diana viſus poſt hæc ſcripta Parte 12. Reſolut. 47. §. ultimo, non dubitat eam improbabilem appellare. Et quidem P. Palau, qui eam, vt vidimus, aſſeruit, & à Diana ſpecialiter impugnatur, ſine ſufficiente auctoritate locutus: illi enim, quos pro ſe aſſert recentes Auctores, ei minimè ſuffragantur. Adducit Barboſam Allegatione 2. quod per errorem poſitum, cum non ſit niſi in primâ; numer. illo 45. vbi hæc tantùm habet: Hæc tamen conſecratio à minori numero, quam trium Episcoporum fieri minimè debet. Sic ille; qui de obligatione præcepti poteſt intelligi aut de iure ordinario; ſic enim in aliis ſcriptis occurrunt, qui cum ita abſolute ſtatuunt; eo non obſtante aliud per Pontificis diſpenſationem admittunt. Videatur Pater Gaſpar Hurtadus Diſputat. de Ordine, Difficultate 19. qui & ita loquitur, atque alios ſimiliter loquentes allegat; diſpenſationem tamen admittentes. Et Diana ſupra §. Sed quidquid. Deinde Auctor dictus ita accipiendus eſt, ſicut illi ſentiunt, quos pro ſe allegat, & citatus. Pater vt apud eos reperit, ac ſine alia differentia tranſcripſit: illi autem contrarium ſentiunt. Nam Pater Henriquez citato numer. 1. ita ſcribit. Conſecrandus eſt Episcopus ex præcepto ab Apoſtolorum tempore per tres ſimul Episcopos, niſi ex cauſâ Papa diſpenſet. In Gloſſâ exempli diſpenſationis adducit. P. Comitulus §. Deinde, ſic habet: Sanè D. Thomas aperte ſcribit in 4. ſentent. diſt. 24. quæſt. 3. artic. 1. ad 3. Episcopum conſecrare poſſe Episcopum, idemq. ſentit Durandus in eadem diſt. quæſt. 6. Sed non addunt ſolum vnum Episcopum id poſſe: quare crediderim ſine Romani Pontificis conſeſſu hoc non poſſe. Hæc illi, & quid illis manifeſtus? Neque aliter accipiendus Marcus Antonius Genuenſis, ſicut & alij nouiores ſcriptores, & ita res iſta vti certiffima eſt habenda. Poſſe namque ſententiam aliquam, quæ probabilis aliquando fuit, determinatione Eccleſiæ ad ſublimiorem gradum certitudinis eleuari, manifeſtis exemplis conſtat, ex quibus plura congeſſi Tomo 1. Theologicorum Problematum, pro Conceptionis Virgineæ proximâ definibilitate decertans. Vbi & oſtendi quòd licet ad definiendum aliquid poſſit Pontifex probabiliter procedere; quia ſcilicet probabile eſt eum poſſe definire; poſitâ tamen definitione illud iam non eſſe probabile, ſed eum certitudinis gradum continens, quem Pontificia determinatio definiuit. Et gradu opinionis permanente poſſe illam ad ſupremum illius ſtatum aſcendere, ita vt oppoſitum ſit improbabile, docti ſentiunt. Pro quo & videri poteſt P. Eufebius Nierembergii in opusculo de ſanctitate certâ Immaculate Conceptionis, P. Vega in Theologiâ Marianâ, numer. 410. & ſeqq. Et Mag. Ioannes à Sancto Thoma 2. 2. Fol. 770. quem adducit Diana Parte 11. Reſolut. 20. in Tractatus octauo Appendice, & hoc eſt, quod in cauſâ præſenti mi-

A. P. Palao non bene inducit Auctores.

Barboſa.

P. Henrig.

P. Comitulus.

nimum eſſe poteſt; nam ſententia Pontificum maiori videretur certitudine præpollere. Vnde & Libr. 28. Titul. 5. Parti. 1. id vt certum proponit, ibi: Por el Ordinamento de la Egleſia, &c.

36 Non ergo ex eo argui pro caſu, de quo diſputatio noſtra procedit, verofimiliter poteſt, in quo docti, & conſcientiæ ſuæ prouidi ſpeculatores Episcopi, ad eò exactè, cum hæc ipſa ſcribo, ſe geſſerunt, vt neque cum Traſumptis Bullarum authenticis à Regiâ curiâ tranſmiſſis, auſi fuerint conſecrari: quidquid ſecus ſentiat Dom. Villaroel Quæſt. 1. citatâ Artic. 10. numer. 40. Quia & in his ſua, deſſe dubitatio poterat, eò quòd graues ſcriptores plumbatas Bullas dicant eſſe neceſſarias iuxta Extrauagantis Bonifacii VIII. tenorem: de qua numer. 24. verbis illis. Abſque diſſe ſedis literis, litterarum oſtenſionem recipiam. Quæ & in actu Conſecrationis iubentur oſtendi & legi, & vocantur, Mandatum Apoſtolicum. Immo & circa Traſumpta ex Romanâ Curia deſtinata dubitatum fuit, eò quòd Bullæ in membranâ mitti non poterint, graſſante contagio, quod membranæ & non papyro ita hære dicitur, vt beneficio ignis nequeat excludi; cum tamen in papyro beneficium tale, dum blandè fuerit admotus, ſentiat: & de Traſumptorum fide indubitabilis concurrit auctoritas Cardinalium ſic firmitium, aſſerentiumque ad conſecrationem ſufficere, & ita factum alibi conſtantium. Quo circumſtantiarum concurſu dubitatio omnis mihi non ſine talium, ac tantorum teſtium iniuriâ videretur poſſe conſiſtere. Exhibito Bullarum pro Conſecratione obtinendâ Pontificij juris eſt, & in eo Pontifex poteſt, omnium conſenſu, diſpenſare. In præſenti autem caſu ad diſpenſationem talem vrgentiſſima cauſa eſt, cum nequeat Bullæ plumbatæ tranſmitti, nec debeat Episcoporum Conſecratio tanto cum Eccleſiarum diſpendio prorogari. Sic factum ex teſtificatione Cardinalium conſtat: neque enim diſpenſatio in Bullâ debuit plumbatâ remitti: ſi enim ita fieri poſſet, etiam originales ipſæ Bullæ poſſent ſimili ratione tranſmitti. Cum ergo diſpenſatio eo veniet modo, quo venire poteſt, plus aliud exigere, aut inconfiderati & illiberalis timoris eſt, aut animi plus nimio pertinacis.

Circa traſumpta Bullarum authenticis quid diſſicultatis oriatur.

Quibusdâ prouidendo danda fides, & iuxta ea operanda.

Ex Bullâ Oraculorū reuocatoriâ arguitur, vbi de fide præſtandâ Cardinalium auctoritatè.

37 Quod roborari vterius poteſt ex eo, quod Gregorius XV. in ſua de reuocatione viuz vocis Oraculorum conſtitutione his verbis ſtatuit; poſt reuocationem dictam generaliter decretam: Firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus indultis, & alijs conſeſſionibus prædictis, viuz vocis Oraculo S. R. E. Cardinalibus, ad ipſorum vel aliorum, quorumcumque fauorem propriâ S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel alijs factis, & de quibus idem S. R. E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt. Sic ille: manifeſtè oſtendens quanta debeat. S. R. E. Cardinalibus adhiberi fides, quando ipſi ſua manu firmatis teſtimoniis aliquid atteſtantur. Licet autem Vrbanus VIII. etiam viuz vocis oracula, ſic firmata, reuocauerit; id quidem non ex defectu credulitatis accidit, ſed ob rationem ab ipſo redditam, quia ſcilicet, ſepè ab ijs, in quorum fauorem emanarunt, minus Canoni-

Et vni tantum etiam cum præiudicio certij, ſicut & in alijs caſibus.

in interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiæ detrimentum executioni demandari, experientia conſpernum ſit. Et hoc quidem, quando vnus tantum Cardinalis teſtimonium habetur. Quid ergo iam dicendum, vbi duorum atteſtatio cum inſolitis firmamentis, & Rubricarum multiplicatione in ſingulis folijs habetur, ac præterea Regij Conſilij regiſtrum in debita formâ ad faciendam fidem? His accedit, quod graues Doctores dicunt apud Dianam Parte 5. Tractat. 2. Reſolut. 31. quòd ſcilicet de conſuetudine (quidquid de iure ſit) Romanæ Curie, Cardinali aliquid aſſerenti credendum eſt, etiam in præiudicium tertij. Pro quo Farinacius Parte 2. Praxis Criminalis, Quæſt. 63. num. 69. multo plures adducit. In caſu autem noſtro tale præiudicium non eſt, vnde ea doctrina ſine dubitatione præcedit. Quòd etiam ſine iuramento aliquid teſtantibus credendum ſit, alij apud eundem affirmant, & præſertim quòd credendum ſit quando teſtatur de aliquo à Pontifice factò viuz vocis Oraculo, tenent alij citati ab ipſo. In caſu autem noſtro non de viuz vocis oraculo teſtimonium eſt, ſed de expeditione Bullarum, quarum tenor exprimitur, & ita dubitationis omnis fundamentum aboletur. Sacra etiam Rota die 15. Aprilis 1611. credendum eſſe aſſerenti Cardinalis confirmati ſtatutum de mandato Sedis Apoſtolicæ, ſua determinatione firmavit.

Rota deciſionem non obſtare circa fidem dictam vni Cardinali præſtandâ.

38 Neque his obſtat, quod Rota eadem die 26. Iunij Ann 1600. firmavit fidem ſimplicem, & extraiudicalem factam per Cardinalem ſine iuramento non probare concludenter, licet multum illi tribuatur. Nam in primis deciſio illa non agit, niſi de teſtimonio vnus Cardinalis, cum tamen in caſu noſtro duo ſint. Deinde multum illi tribuendum eſt ait, idque, quando vnus tantum teſtimonium eſt: ergo duorum teſtimonio multò plus erit tribuendum: ergo quantum ſufficiat, vt iuxta illud poſſit operari. Ad quid enim aliud fauor ille, qui eiſdem conceditur, conducere poteſt, vt multum ſcilicet illis tribuendum ſit, ſi iuxta illud operari non licet? Item plus multò illud, quod teſtimonio illorum tribuendum eſt, ex circumſtantijs acereſcit, quas expreſſimus, & verifimilitudinis irrefragabilis: licet ergo indubitanter operatio; nec tantum licet, ſed obligatio ſtriçta vrget, vt electus & confirmatus debeat intra trimēſtre conſecrari, iuxta id, quod Pontificijs eſt legibus conſtitutum.

Pro eadem fide aliorum Auctorum teſtimoniâ.

39 Pro ampliori autem confirmatione addendum, quod habet Cardinalis Tuſchus Concluſ. 103. numer. 15. vbi ex Alexandro ait duobus Cardinalibus aſſerentibus, circa alienationem, & decretum circa illam interponentibus perinde credendum, acſi à Pontifice ipſo eſſet interpoſitum decretum: quanta etiam fides teſtimonio duorum Cardinalium adhibenda ſit, ſatis indicat id, quod ex Baldo adducit Maſcardus, de Probationibus Concluſ. 270. num. 2. vbi ait duobus Cardinalibus iuratis maiorem fidem adhibendam, quam ſeptuaginta alijs. Hinc ergo apparet, quanta eiſdem, etiam cum non iurati deponunt, debeat credulitas reſpondere. Videndus etiam Maſcardus Concluſ. 269. numer. 13. vbi ex Bellamera teſtatur per tres definitiuas ſententias

Romæ iudicatum Cardinali teſtanti de eo, quod ordinariè iis committi ſolet, fidem penitus eſſe præſtandam. Quia verò circa fidem Cardinalibus adhibendam variæ ſententiæ ſunt, illud certè ex illis omnibus deduci poteſt, ſi qui ſint fauentes, eiſdem annuendum: ſi qui verò videantur obſtare, minimè in caſu præſenti loqui; quia circumſtantiæ tales ſunt, vt à nullo negari queat fidem eſſe proſus tribuendam. Videantur illi, & præſertim citari, videlicet Cardinalis Tuſchus Concluſ. 103. Maſcardus Concluſ. 269. & 270. & Farinacius Quæſt. illa 63. apud quos alij. Quod ſi quis obiciat eſſe, qui dubitent in caſu noſtro, reſpondendum eorum dubitationem omni eſſe fundamento deſtitutam. Si verò rumor ſpargendus ſit de minus legitima conſecratione, & apud ſubditos ſcrupuli circa ſui Paſtoris Canonicam promotionem excitandi, vnde & ſcandala conſequenter pertimeſcenda, à conſecratione abſtinentum; vnde ego circa caſum præſentem ſic cenſui vt litteræ dictæ tamquam pleniffimâ fide dignæ & haberentur, & publicarentur; neque earum diſcuſſio iuriſperitis committeretur: ſeo enim ipſo de earum videbatur fide dubitari, & dubitandi etiam fundamentum non deſſe: quandoquidem & conſecratoris & conſecrandi, qui viri docti erant, ſtante litterarum ad eò compertâ & irrefragabili ferie, ad effectum ſatis ſuperque ſufficiebat: ſicut & pro caſu dicto iſta ſufficiant; vt ſit iam

Notanda exceptio.

CAPVT IV.

Episcopi Indiarum an ſolâ Regiâ præſentatione poſſint Eccleſias, quibus præſunt, deferere, & ad eas, pro quibus ſunt præſentati, conuolare.

40 Specialis pro Indiis difficultas eſt, quia ſic cum præſentatione ipſa Regium ſolet monitorium mitti, vt Episcopi ad Eccleſias, pro quibus præſentantur, ſe ſtatim conferant, ne Indi diu cogantur carere Paſtore. Quæ ratio optima eſſet, ſi in Eccleſiâ derelictâ ſimile non immiaerit incommodum ex derelictione ita deproperatâ proueniens. Vbi ſi dicatur tali incommodo prouidè occurrere ex eo quòd Episcopo ad illam præſentato ſimile hortatorium dirigatur; vt ſcilicet, quam primùm poſſit, ad eam tendat, gubernationem eiſdem accepturus: contra illud eſt in primis prouidentiam talem multoties ad effectum dictum nullius eſſe momenti, eò quòd venturus Episcopus longiffimè abſit. Deinde neceſſitas Eccleſiæ ex qua fit tranſlatio, præponderare debet neceſſitati alterius, pro qua eſt præſentatio, quia eſt neceſſitas ſpontæ, cum qua ſpirituale eſt matrimonium conſummatum, quod vinculum non diſſoluitur niſi electione ad aliam per Pontificem confirmatâ, vt luculenter habetur in Cap. Inter corporalia de tranſlatione Episcoporum. Quòd quidem vinculum ad eò ſtriçtum eſt, vt robuſtius carnali vinculo à Pontifice pronuntietur, aſſerente non humanâ, Canonica inquam conſtitutione, ſed inſtitutione diuinâ, diſſolutionem eius Romano eſſe Pontifici

Ratio dubitandi circa propoſitam quaſtionem.

Ex vinculo ſpirituâli coniugij arguitur, quòd corporali manu refer-